

19.

Nobili Botanico DD. Nic. Jacquinio s. pl. d.
C. Linnaeus.

Iterum hodie habui fasciculum Tabularum tuarum pulcherrimarum, et quidem illum in quo Hippomane erat, pro omnibus et singulis gratissimam persolvo mentem.

Jubes me in speciebus vocare *Thlaspi mont.* 1. *Clus. Pellariam*, quod lubenter faciam, si modo me doceas characterem genericum, et qua ratione differat a *Clypeola*, adeoque quaeso, quamprimum has acceperis, rescribas characterem, et mittas in literis florem cum fructu; quem olim accepi non germinabat, et erat exsuccus. Numquam toties illusus assumo genus, nisi id probe noverim. Nunc imprimat *Salvius Mesembryanthema*, duas reddat phylas omni hebdomade. Intra 5 vel 6 hebdomadas adeoque non imprimat *Clypeolam*. iterum iterumque oro, quamprimum has acceperis rescribas et respondeas. Exspecto avidissime a D. Rottböll Librum Tuum, utinam brevi mitteret, cum quotidie Hafnia Holmiam Peregrinatores petant.

Zygophylli Tui arborei avide exspecto iconem; an mea *Quassia*? an gerat fructus 5 distinctos monospermos? si hoc habet quidem notam *Zygophylli* qua stamina, sed neque floris structura, neque fructus est *Zygophylli*, et si hoc admitterem, etiam *Dictamnium Rutae* speciem facerem.

Browniae figuram praeplaceret intueri.

Floret nunc egregie, in eodem loco cum *Arachi*, in Horto nostro *Mandubi de Angola Marcgr. bras. 43. Phaseoloides mariana procumbens Raj Suppl. 437.* et pulchre *Legumina terrae* intrudit more *Trifolii subterranei* aut *Arachis*, an hanc plantam vidisti in America? Folia sunt *Phaseoli*.

Novum *Mesembryanthemum* quod voco *pomeridianum*